



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ivlii Cæsarisi|| Scaligeri|| Epistolæ|| &|| Orationes||

Scaliger, Julius Caesar

Lugduni Batavorum, 1600

Nicolao Bovstio. XLIX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)

MERITA tua in vniuersam rem pub. literariam , Nicole Bousti, siue medicam prudentiam spectemus , siue cæteras bonas artes cum eloquentia coniunctas contem- plemur , non plus debuit tibi opum, qui- bus potens es , comparare, quam nobis ad- mirationis parere. Illa enim regna popula- ria sunt fortunæ munera , quæ sine iudicio non solum indoctis, verum etiam malis sæ- pe fauet. At viri sapientes, qui nihil tuorum operum animaduertere non a summis consiliis proficisci , cum in muneribus ciuilibus prudentiam agnouere, tum in præclaris lite- rarum artibus inter principes viros locum statuere. Me vero , Nicolac Bousti , qui etiam minima quæquam cum animo meo perpendere confueui, multum mouere po- tuit potentia tua, sapientia vero etiam com- mouere. nihil enim ei deesse puto; apud quem virtus cum fortuna coniuncta est. Verum ea omnia cum eo amore , quo me complectaris, si quando comparaui , virum in illis quidem agnosco, sed cum cæteris, in hoc vero etiam diuinum , sed solum mihi. Peregrinum enim me neque cuiusquam beneficio in hoc contemptu studiorum no-

L 5 strorum

170 IULII CÆSAR. SCAL.
strorum , subleuatum non despexisti , non
reiecisti obtestatione , vt solent alii eos , qui
communibus præsidiis vitam tuentur . expe-
tentem amicitiam tuam , quæ nulli nisi ma-
gnis viris patet , excepisti . Satis hæc , satis fue-
re , Bousti , etiam ad efferatissimum malis
animum meum redintegrandum . At vero
præterea quo tu humanitatis genere supe-
rasti non solum morem istorum , qui seculi
nobiles propter parentum gratiam iactant ,
sed etiam extinxisti expectationem meam ,
cum me diuturno oppressum morbo , de-
sperata non vita , (id enim beneficij loco vel
maximi & orabam tunc , & nunc habere
possem , si iussu eius , qui hoc mihi custo-
diendum dedit domicilium , de eo decede-
re possem) sed expectata neruorum om-
nium dissolutione , tuipsc non solum consiliis ,
(horum enim satis in me esse , vt huma-
nissime soles , prædicabas) sed etiam opibus
iisque amplis atque luculentis , non verbo ,
sed re ipsa subuenisti . Quo beneficio et si eo
tempore opus non erat nulli tantum animi ,
tamen tui magnitudinem , Bousti , tantam
pietatem quoniam pacto , quibus artibus re-
munerabor ? Nam quanquam nō deest ani-
mus , qui tuo respondere possit , at res ipsa fi-
dem detrahet . Quæ nanque modica sunt ,
ea ani-

ea animorum altitudinē non queunt ostendere. Pecuniamne igitur ostentem tibi, qui thesauros habeas? pollicear operam amicorum, quorum tu præsidio stipatus es? ostentem lucubrationes meas, quibus tibi nominis promittam immortalitatem, qui clarissimis scriptis tuis præterita sæcula obscuraris, præsentia illustraris? Nihil mihi reliquum est, quod pro te faciam. neque enim talis erga me es, ut me in te, sed te in me ædifices. Non igitur pro eo, ut hoc munusculo param tibi gratiam referre posse sperarem, sed ut posteros ad exemplum animi tui diuini excitarem, dicaui tibi libros tres de differentiis, caussis, genere plantarum, quæ sub nomine tuo cum legerent docti, intelligerent si quid boni a me in his elaboratum sit, id in causa fuisse, quod te omniū meorum scriptiorum semper iudicem fecisset, in hoc etiam tanquam auctorem finxisset.
Vale.

E I D E M. L.

Si quantum perfidiæ fuit in iis, qui e meis sermonibus, quos amoris & fidei pléissimos habeo de te quotidie, nomen tuum ad te ipsum detulerunt, tantum esset in me levitatis, quod illi nullo ciuili officio prædicti fece-